IOANNIS BAPTISTAE PASSERI
PISAVREN. NOB. EVGVBINI

DE TRIBVS VASCVLIS ETRVSCIS
ENCAVSTICE PICTIS
A CLEMENTE XIIII.
P. O. M.
IN MVSEVM VATICANVM INLATIS
DISSERTATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI

FLORENTIAE. MDCCLXXII.
In Typographia Moückiana. Cum adprobat.

Digitized by Google

RELIQVIAS. VETERVMQVE VIDES MONIMENTA VIRORVM.

Virg. Aeneid. lib. IIX. v. 356.

CLEMENTI · XIIII
P. O. M.
ANTIQVARIAE . ERVDITIONIS . PROPAGATORI
EXIMIO
ABSOLVTISSIMAM . HANC . DISSERTATIONEM
CLARISS. PASSERII
DE . IMAGINIBVS . ET . SYMBOLIS
TRIVM . VASORVM . ETRVSCI . OPERIS
QVAE
PRINCIPIS . NOSTRI . SANCTISS. ET . SAPIENTISS.
LARGITATE
IN . VATICANVM . MVSEVM
A . SE . CVMVLATISSIME . DITATVM
INVECTA . FVERVNT
REGINALDVS. COMES. ANSIDAEVS. PATR. PERVS.
M. A. CARD. PRONEPOS
DEVOTVS . NOMINI . MAIESTATIQVE . EIVS
DEMISSISSIME
O

ARGVMENTVM
DISSERTATIONIS.

I. *Vaſa Etruſca antiquiſſima olim a Romanis peſſumdata ob invidiam libertatis ſeculo hoc innocentiſſimo Romam ſervanda confugiunt.*

II. *Peruſia feraciſſima Monumentorum Etruſcorum, eorumque cuſtos, & decus.*

III. *Vaſorum Etruſcorum laus, & illorum Picturae mira induſtria, atque artificium.*

IV. *Examinatur Pictura Vaſis I. & refertur ad pompas nuptiales, in qua cernitur imago ſponſae ad vivum expreſſae. Perpenditur ornatus capitis, nempe reticulus, eiuſque ratio, & inſtitutio antiquiſſima; item* ſeni crines, *quibus ſponſae ornari ſolebant. Obiter quaeritur quis fuerit cultus capitis Virginum Etruſcarum.*

V. *Pictura Vaſis II. pertinet ad collationem Togae virilis. Coeremoniae plures huius ſolemnitatis referuntur. Togae forma deſcribitur, eiuſque deferendae modus, & tempus, quo communius traderetur, nempe Saturnalibus Decembri, & Feſtis Bacchi Ianuario.*

VI. *Tradita Adoleſcentibus Toga, Ramuſculus felicis arboris conſeri ſolebat Genio pueri ſacer, multaque religione ali ſolebat. Praetexta a puero dimiſſa cum aurea Bulla Laribus domeſticis dedicari ſolebat. Parentes monita civilis vitae*

na-

natis, qui Togam acceperunt, ante Deos domeſticos tradere conſueverant. Tirones nuper Toga donati per annum numquam exerti incedere debebant ea penitus contecti.

VII. *Exponitur Pictura III. Vaſis eiuſdem argumenti, ubi Genius Tyronis alatus palam intereſt ſacris hac occaſione ſibi oblatis, biſque ſibi litatum demonſtrat.*

PARERGON OPERIS.

Producitur Gemma Etruſci operis, in qua inter ſigna militaria circumfertur Thenſa, nempe Deorum ſimulacra Ciſtae incluſa ſuper Quadrigam deferenda in Circum, ubi ſpectacula celebranda ſunt, & huius Ciſtae forma, & ratio deſcribitur. Demum paucula adduntur de imaginibus aliarum Gemmarum, quae [amatoribus venerabilis, & ſemper honorandae Antiquitatis fortaſſis non iniucundae] nunc primum publici iuris fiunt.

C. Mariotti Perus. del. F. Allegrini inci.

DISSERTATIO.

C. M. Perus. del. P. A. inci.

I.

PERIS antiquiſſimi Vaſa Etruſca graphice illius Nationis mores exprimentia, & in Agro Peruſino (1) quinto ab Vrbe lapide, eo in loco, quem

(1) Ager Peruſinus, prae caeteris, antiquis Etruſcorum

quem MANDOLETVM appellant, circa vigeſimum huius ſeculi annum defoſ-

ſum monumentis redundat, quae identidem aetas profert in apricum. Seculo enim XVI. ad locum quarto ab Vrbe milliario, qui *Pila* dicitur, effoſſum fuit ſimulacrum aeneum viri togati, aliquem fortaſſe ex Peruſinis Proceribus referens, qui de Republica optime meritus ſimulacrum aeneum ſibi aliquo in loco publico erigendum obtinuit. Hoc primus omnium evulgavit Ciattus Minorita Conventualis Peruſinus, cum in Paradoxo hac de re edito, tum in Peruſia Etruſca lib. I. & nos pauca de eo delibavimus in Paralipomenis de Etruria Regali Clariſſimi Dempſteri; quodque, ut eruditi optime norunt, tunc acquiſivit Coſmus I. Magnus Etruriae Dux, & in Regium Muſeum ſuum invexit, tamquam peculiare ipſius ornamentum, in quo etiam adſervatur Chimera in eodem feraci ſolo inventa, de qua doctiſſimus Gorius in Tab. CLV. Tom. I. Muſei Etruſci, noſque in iiſdem Paralipomenis: ne quid dicamus de pulcherrimo ſigno aeneo Pueri palmum excedenti dextero eius femore Litteris Etruſcis inſcripto, quod erutum fuit, ut laudatus Ciattus ſcripſit Lib. IV. Peruſiae Etruſcae, anno MDLXXXVII iuxta Lacum Traſimenum, Romanorum clade celebrem, ſibique poſtea temporis comparavit Dionyſius Chriſpoltus Vir Patricius, atque poſt varios caſus pervenit ad antiquiſſimam Peruſinam Gratianorum Familiam, quae illud ſollicite, uti par eſt, cuſtodit in Muſeo domeſtico, inter plures, neque obvias, neque vulgares florentiſſimae Etruſcae Nationis reliquias; de quo Illuſtriſſimus Fontaninus, Archiepiſcopus poſtea Ancyranus in *Antiquitatibus Hortae* Lib. I. cap. 7. ubi etiam eius imaginem graphice ſcalptam producit; & nos pariter nonnulla digeſſimus *in Diſſertatione de Pueri Etruſci Aeneo ſimulacro*.

foſſa , ad ſacrarium , & tutelam univerſae antiquitatis confugiunt ſub auſpicio CLEMENTIS XIIII. P.O.M. divinarum ſimul & humanarum ſcientiarum Amplificatoris, ut quae olim a Romanis peſſumdari , velu-

lacro &c. Typis Romanis recens evulgata. Corrigendus tamen Fontaninus , qui hoc Gratianorum ſimulacrum inventum affirmat in loco , qui dicitur *Pila* iuxta eundem Lacum , cum *Pila* procul maxime diſtet a Lacu , aliam oram verſus Peruſini Agri, quod probe nimis ſciebat Ciattus utpote Peruſinus , ut in hoc poſſet hallucinari , & ex quo hauſerat Fontaninus , quae de hoc Puero ſcripſerat. Circa annum MDCCL. repertum fuit ſigillum aeneum , minus palmo , operis elegantia , & incolumitate ſua prorſus ſingulare , ſimulacrum *Spei* referens , atque characteribus Etruſcis inter ſcapulas notatum , quod in ditiſſima Pinacotheca ſua ad S. Erminum extra muros Peruſiae modo ſervat Nobiliſſimus Comes Ludovicus Oddus Patricius Peruſinus , Ampliſſimorum Cardinalium Iacobi Nepos , & Nicolai Germanus Frater . De hoc pariter (cuius iconem perbelle delineatam inter ſchedas & diagrammata noſtra ſollicite cuſtodimus) Diſſertationem , utcumque ſit , texuimus , quae aliquando forſitan vulgabitur . Plura in dies , ut ex relationibus amicorum identidem certioramur , ibi fortuito reperiuntur ſigilla aenea , numiſmata , atque monumenta marmorea , ut plurimum Etruſci operis , inter glebas , & rudera , quae longum nimis eſſet recenſere , quaeque nos conſulto omittimus , ne limites ſimplici notae praefixos praetergreſſi ſuiſſe videamur .

ti ſpolia ex hoſtibus, per iniuriam ſolebant, nunc inter mitiſſimi ſeculi ſtudia in ſacratiſſima illa totius generis humani arce, admirationi ſimul, & inſtructioni ultro oblata convenirent. Ab hac humanitate receſſerat olim Iulius Caeſar vivis pariter & mortuis infenſus, de quo Svetonius in eius Vita cap. 81. *Cum in Colonia Capua deducti Lege Iulia Coloni ad extruendas villas ſepulchra vetuſtiſſima diſiicerent, idque eo ſtudioſius facerent, quod aliquantum vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant: Tabula aenea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuae ſepultus, inventa eſt conſcripta* &c. Id vero non ſine iniuria Legum de ſepulchris toleratum eſt, ut morum antiquorum memoria deleretur, ne ſi permanſiſ-

ſiſſet, antiquae libertatis recordatio excitaretur.

I I.

Peruſia Monumentorum huiuſmodi mater, atque per tot ſecula melioris fortunae anxia cuſtos, una fuit ex XII. Etruriae Urbibus, quae in foedus arctiſſimum convenerant a prima uſque origine ex quo *Chittim* Noe nepos in hanc Italiae Inſulam (ut Scriptura divina loquitur) progeniem ſuam collocavit. Hinc ſemper in divinis Litteris Italia nomen *Chittim* obtinuit haud ambiguo documento primae originis, & conditoris; pudet enim nos, qui Etruſci ſumus, meque praeſertim inter Volſinios, Tarquinioſque Farneſii natum, o-

ri-

riginem a Celtis deducere, ut affirmare non dubitavit ingenioſus quidam ſomniator, quem nuper refellere coactus ſum inter Ephemerides Florentinas. Inſitam vero uſque a prima origine libertatem foedere ſociali Peruſia ſervavit illaeſam uſque ad execratas *Peruſinas Aras*, quam ignominiam male reparatam titulo *Auguſtae* virtus Populi bellica, & animi magnitudo compenſavit, potiſſime vero litterarum ſplendor, quibus debeo quaecumque illa fuerint tyrocinia mea, atque progreſſus. Sed neque praetermittam Vrbem hanc florentiſſimam devinxiſſe ſibi eruditorum animos non modo ob ſtudium has antiquitatis reliquias colligendi, ſed etiam illuſtrandi, in-

ter

ter quos omnium primus Clariſſimus Ciattus, qui cum vidiſſet ſupellectilem hanc toto fere orbe diſtrahi, in eius egregio opere *De Peruſia Etruſca* potiſſima Peruſinorum monumenta typis evulgavit. His vero unice nocuit inanis illa tam remotae antiquitatis reverentia, qua ea numquam intelligi poſſe credebatur, quam nuper ſubſtulit ſi non felicior doctrina, maior tamen Mundi audacia ad mirificum feſtinantis, ne, quae imminens aetas deterior perditura eſt, penitus deperirent. Inter eos vero, qui huius ſtudii primordia in magno illo litterarum emporio exceperunt, iure merito computamus MARCVM ANTONIVM ANSIDAEVM Cardinalem Ampliſſimum, & num-

quam

quam interituri nominis virum, qui monumenta universa Patriae suae quotquot prodiere, dum vixit, in avitum Museum inferenda curavit, haud ignarus, futurum fuisse, ut quidquid praeclarius emergeret e tenebris, fortunae aliquando Principis Vrbis reservaretur, haud indignum putans Viro Praesule in Etrusca eruditione versari, cum plerique Ecclesiae Patres in eius Nationis Libris, qui tunc extabant, curam suam impenderunt, ut vulgi errores, qui tum irrepserant, obelo censorio expungerent.

III.

Inter consultissima Etruscae industriae opera computanda sunt vasa

ſa fictilia encauſtice picta, quae immortali quodam artificio ſemperque vernante non mores tantum Etruſcorum nobis obiiciunt, ſed loquaciſſime interpretantur, ita ut pene Librorum illius Nationis iacturam compenſent, totamque ſeriem vitae eius Gentis, ac ſi praeſens eſſet, exponant. Equidem nec Graeci, nec Romani tanto nos ſubſidio adiuverunt ambitione marmorum, auri, & argenti exultantes, quo barbaros ab extremo Septentrione ad rapinam accerſerunt. Habuere haec imperia ſcriptores, & hiſtoricos caſus & prolapſionis ſuae, ex qua tamen nuſquam ſurrectura erant; at contra Etruſci obſequuti ſunt figula, quorum ſubſidio reviviſcerent, facilique tractu

ctu penicilli feſtinantis ad aeternitatem gloriae reparandam, cui haec ſphragiſmata commendabant, quibus nonniſi Romani Coloni apud Capuam nocuere, quandoque tamen deſiderandis. Sed antequam ſingula perſcrutemur operae pretium eſt artificium illorum, ſummaſque leges attingere, quarum ductu in exercitio operum regebantur. Lex praecipua fuerat, ut Pictura nihil inane, aut frivolum exprimeret, ſed tantum inſtrueret. Ab hoc inſtituto ſeſe emanciparunt artifices orientales, quorum toreumata hodie in pretio ſunt, quae nec ſuos erudiunt, nec exteros; deterius vero ſi inſtruant, nec enim niſi otia illius Gentis referre callent, putidi fumi ex o-

re

re exhalati vapores iniurioſos, & caldae compotationem, quae nimium inter nos diffuſa inertem Italiam ſpecioſiſſimis in tabernis deformavit. Unus hic Argillae ſplendor, quam murrheam vocat Propertius 4. 5. 26.

Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.

At pictura Etruſca totam nobis exponit mithologiam rebus Etruſcis explicandis addictam, Heroicorum temporum exempla ad imitationem expoſita; hinc patet tota Ilias, hinc Vlyſſis errores, & Thebana utraque hiſtoria plena portentis, atque formidine, quam ex Homero Statius noſter ſibi ſubripuit; hinc pompae qua ſacrae, qua civiles expreſſae ſunt, quoque ordine ducerentur apparent, & di-

gito deſignantur . Id praecipue praeſtat in Sacris Bacchicis , quae alioqui ſecreto exitiali obtenebrata a Pictoribus hiſce ſycophantiae adverſis liberaliter patefacta ſunt . Altera demum lex Pictorum Etruſcorum perennis fuit , ut hiſtoriae aut fabulae ſemper alluderent ad actionem , in quam Vaſa parabantur , unde ampliſſima patebat via ad magnificentiam & admirationem conciliandam Deorum , & Heroum interventu , quo caeremoniae nobilitantur . In hoc vero Pictores Piſaurenſes duobus ab hinc ſeculis Etruſcos imitati ſunt , cum adhuc illorum exemplaria , quae Florentiam abiere , apud nos eſſent . Habeo enim apud me Crateres in uſum puerperii concinnatos , in

quo-

N.° 1.

Vas Etruscus Altitudinis Palmorum duo Rom:

C. Mariotti Perus: del. *F. Allegrini inci:*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE" NAPOLI

N.° I.

Altera Facies Vasis.

C. Mariotti Perus. del. *F. Allegrini inci.*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

quorum uno Ledae partus, in altero Alcmenae expreſſi ſunt cum univerſo apparatu, quo utraque hiſtoria expreſſa eſt a Poetis. Caeterum iidem Pictores noſtrates adeo tenaces fuerunt praeſcriptionis Etruſcae, ut illorum Picturae totam fere habeant in Lancibus novi, & veteris Teſtamenti ſacram hiſtoriam, inſuper univerſam Romanam, & Ovidii Fabulas, quas honeſtus homo ignorare non poteſt, ne barbarus videatur.

IV.

Vaſa, quae obſervanda proponimus, tria ſunt, & mole, & incolumitate ſpectanda, & regio quocumque apparatu digniſſima. Horum primum pertinet ad ritus nu-

nuptiales , reliqua vero duo ad caeremonias , quae apud Etruſcos primum , deinde apud Romanos peragi ſolebant , cum eorum filiis circa annum XVI. depoſita Bulla aurea , ac veſte praetexta , toga pura communis Civium tribuebatur adhibitis quibusdam ritibus . Id *ſacrum Praetextatum* nuncupabant , de quo videndus Quintilianus, & qui de ritibus , & moribus Romanorum egerunt . Primum igitur Vas ad Nuptias puto referendum, nam multa in his pompis Vaſa deferri conſueverant , praeſertim vero cum aqua & igne , myſticis elementis caloris , & humoris , quae ad generationem maxime conferre arbitrabantur . Haec vero Matrimonia hoc ritu celebrata ſanctiſſima , &

in-

inviolabilia exiſtimabantur, quapropter *puriter facere* cenſebantur, qui hoc ritu uxorem ducerent, ut colligitur ex Novio *Virgine praegnante* apud Nonium *de indiſcretis adverbiis*;

Sequere me, puriter volo facias,
Igni, atque aqua volo hunc accipere.

Deferebatur Cumerus, de quo Varro lib. 6. de Ling. Lat. *Dicitur in nuptiis Caſmillus, qui Cumerum fert, in quo quod ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt.* Et Feſtus: *Cumerum vocabant antiqui Vas quoddam, quod opertum in Nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utenſilia.* Vaſa praeterea omnia in uſum menſae ore repando ad vina ex ſimpulis miniſtranda parabantur, quae omnia ornamentis aptiſſimis ope picturae concinnabantur, ve-

luti

luti magnificum illud Bononiae in aedibus excelſae Familiae Bentivolae, in quo raptus Leucippidarum a Dioſcuris perpetratus expreſſus eſt. In his vero vaſculis non ſemper hiſtoriae expreſſae ſunt, praeſertim feſtinantibus nuptiis, quin aliquando ſolum caput ſponſae ad vivum efformatum obſervatur, ut in praeſenti vaſe, & aliis, quae inter picturas Etruſcas T. I. referendas curavimus. Nec praetereunda eſt altera coniectura, quod aliquando Familiae Etruſcae melioris notae, quae Deorum inanium fabulas refellebant, haſce ineptias penitus evitarent; certum eſt enim floruiſſe apud Etruſcos ſcholam quandam electiſſimam Philoſophiae, in qua reiecta Deorum

rum pluralitate, ac ridiculis Theogoniis, iisque in plebeculam reiectis, docebatur unum omnino esse Deum conditorem omnium, atque custodem, aeternumque malorum vindicem, & bonorum remuneratorem, ut Tom. II. Picturarum ostendi peculiari Dissertatione *De Arcana Etruscorum Philosophia*. Hae vero sponsarum imagines, quarum unam hic expressam producimus, luculentissimo cultu apparari solebant, praesertim vero margaritis supra frontem instar radiorum eminentium, non ambiguo testimonio prosapiae splendidissimae; aliquando vero minori fastu pro variis singulorum populorum institutis. In hoc uno tamen consensere matronae universae, ut more maiorum

to-

totum capillitium reticulo includerent, & occurrentibus invicem fasciis, supra frontem constringerent. Varro de Lin. Lat. *Quod capillum contineret dictum a rete reticulum*; & Nonius: *Reticulum tegmen capitis muliebre*. Id vero gestamen a Religione profectum est, eo namque & Vestales, & Bacchae utebantur. Quinimmo Matronae haec reticula velut gratissima Diis; & Deabus votiva offerebant. Idem Varro in Sesquiulis. apud Nonium cap. de gen. Vest. v. Strophium: *Suspendit Laribus marinas molles, pilas, reticula, ac strophia*. Nec mirum, cum enim Matres familias, veluti Sacerdotes apud domesticos Deos, & sacra privata censerentur, quibus interdiu sine stola, seu pallio superiore caere-

mo-

monias obire contingeret, ne nudo capite litarent, placuit hoc reticulo ſemper paratas eſſe, & promptas ſacrificio. Caeterum inducto urbanis moribus hoc cultu capitis, nihil obſtabat, quin etiam Matronae, quae a Deorum inanium honore alienae erant, eodem ornatu uterentur, nam veteres feminae a novitate maxime abhorrebant, ut ornatum quem a maioribus aliquando excepiſſent mordicus retinerent. In hoc vero ſemper laudavi Alexandri Severi ſanctionem, quam refert Lampridius: *Matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & bacchato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent, & uno pallio auro conſperſo, & cyclade, quae ſex unciis auri plus non haberent.* Ex capillis

vero reticulo incluſis circa utramque auriculam tres cirri diffluebant, ut in caeteris omnibus Picturis, & praecipue in hac praeſenti obſervamus, quod quidem ſenis crinibus ornari dicebatur. Ita Feſtus: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetuſtiſſimus fuit; & quidem quod eo Veſtales Virgines ornentur, quarum caſtitatem viris ſuis ſpondeant.* De virginibus, an paſſis, ſeu colligatis crinibus uterentur, nihil adhuc compertum habeo. Vidi equidem ſigilla Virginum votiva paſſis poſt terga capillis efformata, ut apud Bonarotum *de Nummis Carpineis*, Gorium *Muſei Etruſci Tom. II.* inter Picturas Etruſcas, quas retuli in *Prolegomenis ad Tractatum* Ioannis Baptiſtae Donii *de Lyra Barberina*, ac *Muſica Ve-*

Veterum, ac recenſui in T. cl. Picturarum Etruſcarum Tom. II. Habeo etiam huiuſcemodi Icunculas aereas apud me. Aſt hic cultus erat Mulierum vota concipientium, & puerperarum, quae ideo crines effundebant, ne quid ligatum haberent in toto corpore, quod univerſum Numinibus addictum eſſe reputabant, ut late demonſtravi ad T. LIIX. & LIX. earumdem Picturarum. Notandum praeterea eſt huiuſmodi ſigilla ſiniſtra manu tunicam attollere more gradientium, quod ſimulacro *Spei* plerumque tribuitur; ſed magna oritur mihi ſuſpicio apud Etruſcos ſub hac imagine Deam Iuventam fuiſſe expreſſam, eamque unam eandemque eſſe cum Spe, quod Iuventus plerumque plena ſpei videatur.

V.

Gemina Vaſa ſequentia, ut ſupra innuimus *ad Sacrum praetextatum* pertinent, quo adoleſcentes depoſita Praetexta Togam puram, & candidam aſſumebant, de quo Quintilianus laudatus, & qui de re veſtiaria. Et primo quidem pueris cum ad annum XVI. perveniſſent (nam eo uſque Toga utebantur praetexta purpura, & Bulla aurea) virilis Toga pura & candida ſumenda erat. Tunc vero praemiſſis quibuſdam caeremoniis, in quibus potiſſimam partem Religio ſibi uſurpabat, illis primo detondebatur coma, quam prolixam prius deferebant, ex qua *capillati* dicebantur. Exinde uſque ad hu-

N.° II.

Vas Etruscus Altitudinis uniuſ Palmi Rom:

C.° Mariotte Peruſ. del. *F. Allegrini inci.*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

humeros protrahi ex veteri inſtituto non licebat. Praemittebantur Balnea ſacra, non tantum ad nitorem corporis, ſed ex Religione quadam vehementi, ex qua putabant aquam tot Deorum habitaculum virtute maxima pollere culparum omnium abluendarum ad novam vitam ſanctius inſtituendam. Id ſatis ſuperque colligitur ex Picturis Tom. I. in quibus haec lavacra, & forma Fontium frequenter apparet. Iterum de illa incidet ſermo infra in calce huius Diſſertationis, & in notis ad Gemmam Parergi II. Quas vero quantaſque virtutes hiſce ablutionibus adſtruerent veteres; paſſim ubique adnotavimus, praeſertim vero eiuſdem Operis Tom. III. qui ſub praelo

lo eſt, ubi Picturas ſepulcrales digeſſimus. Interim Bulla aurea, & Praetexta Puero detracta & in orbem per cingulum decuſſatum conſtricta, veluti emerita Diis domeſticis offerebatur. Prop. 4. 1. 132.

Mox ubi Bulla rudi demiſſa eſt aurea collo
Matris, & ante Deos libera ſumpta Toga.

Hinc primum Tunicula nova ſine manicis tribuebatur Iuveni, inſuper vero Toga candida eidem circumponebatur ex lana, commune Etruſcorum operimentum. Huius forma ſimpliciſſima fuit, pannus nempe quadratus latitudinis humanae ſtaturae, duplae vero longitudinis, qui in rhombum protractus, ut geminos angulos acutos efformaret, unus ex his imponebatur antrorſum humero ſiniſtro. Reli-

qua

qua pars reflexa circa terga colligebatur ſuper humerum dexterum, vel ſubtus brachium cum exerti incederent. Reliquum Togae pectus, & ventrem tegebat, iterumque angulus extremus acutus reiiciebatur ſupra latus ſiniſtrum fibula confirmatum ne diffluereret. Ars vero, qua circa pectus diſponebatur, ſtudioſiſſima erat, ut magnificos quosdam ſinus efformaret, quo indumento nihil grandius, aut auguſtius unquam inventum eſt, atque aptius ſculpturae. Hoc habitu Tyrones (nam hoc nomine per integrum annum vocabantur novelli Togati) ſub gravi aliquo cuſtode primo procedebant in forum, ſeſeque Populo oſtendebant; brachium tamen dexterum modeſtiae

cau-

cauſa exerere e Toga eis non licebat, ſed incluſum ſub Toga ferre debebant, ut notat Cicero pro Caelio: *Nobis quidem annus erat unus ad cobibendum brachium Togæ inſtitutum, ut exercitatione ludoque campeſtri tunicati uteremur.* Hinc paſſim videas in noſtris Picturis Tyrones hoſce Toga penitus ad os uſque involutos. Potiſſimis vero honoribus celebritas iſta colebatur, tum privatorum exultatione, cum etiam publica religione, nam licet quovis tempore & die, dummodo non nefaſto, Toga tribui poſſet, invaluit tamen mos, ut Decembri inter Saturnalia, ut refert Macrobius, aut Ianuario dum Liberi Patris feſta agerentur, ut teſtatur Ovidius, ſolemniſſimis tunc diebus, & laeti-

tia

N.° II.

Altera Facies Vasis.

C. Mariotti Perus. del. *F. Allegrini inci.*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

tia redundantibus, communiter Toga traderetur. Ita ipſe Faſtorum 3.

Reſtat ut inveniam quare Toga libera detur
Luciferis pueris candide Bacche tuis.

V I.

Vides igitur in Tab II. geminas Matronas ſacrum aliquod perficientes ſupra ramuſculum vitis humi depactum, & vireſcentem, quarum una neſcio quid, fortaſſe thus, aut aliquid aliud redolens ſpargit ſupra viticulam Genio pueri ſacram. Solebant enim Etruſci, deinde & Romani, diebus quibusdam auſpicatiſſimis, ſponſalium nempe, natalium, & cum Togam traderent natis, ſurculum aliquem felicis arboris humi con-

ſerere , ſacrum Genio infantis , aut adoleſcentis, illumque diligenter enutrire , & fovere , veluti ſedem ipſius Genii , ut ſi ſtirps iſta viridis creſceret , ſpem optimam de filio conciperent . Huius inſtituti frequentiam teſtantur exempla obvia in noſtris picturis ; confirmat vero Donatus in vita Virgilii, referens in illius Vatis nativitate morem hunc fuiſſe ſervatum : *Siquidem virga populea more Regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta , ita brevi coaluit , ut multo ante ſatas populos adaequarit : quae arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt , ſumma gravidarum & foetarum religione , ſuſcipientium ibi , & ſolventium vota .* Nec mirum , cum Mantuani ſoboles Thuſcorum eſſent . Supra arbuſculum ſacram glo-

globus cernitur, nempe praetexta Diis domeſticis dedicata, mulier vero adminiſtra arculam ſuſtinet, unde vel nova Toga detracta eſt, vel in qua praetexta eſt recondenda. Loculi vero, ubi Dii familiares ſervabantur, plerumque rotundi erant in pariete, ut circularis figura coelum imitaretur. In adverſa parte huius Picturae, caeremonia iam exacta, Paterfamilias Tyronem ſuum ante aram Deorum familiarium alloquitur, & praeceptis civilis vitae ſedulo informat, ut frequenter alibi cernitur. Idem parens de more baculo innititur, ut fere ſemper obſervatur, nam in Saturnalibus ex vetere inſtituto id geſtamen deferebant, ut refert citatus Macrobius:

bius ; nec dubito quin id etiam uſurpatum fuerit in feſtis Bacchi, nam ſaepe animadverti virgas haſce frondentes apparere , ut ex recenti vite reſciſſae videantur .

V I I.

Ad idem ſacrum pertinet Pictura Vaſis tertii , nec a priore admodum differt . In prima fronte Materfamilias circa cultum alterius arbuſculae verſatur , & libamina quaedam in illius verticem ſpargit, & quodammodo conſecrat, ſive dedicat Genio Tyronis ſui . Notandum in hoc etiam ſchemate Matremfamilias libare nuda manu, abſque Patera , nam tribus tantum digitis thura infundebantur , ſive id fieret in foco , ſive ubivis

opor-

N.° III.

Vas Etruscus Altitudinis Palmorum duo Rom:

C. Mariotti Perus: del: *F. Allegrini inci:*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

N.° III.

Altera Facies Vasis.

C. Marietti Perus: del: *F. Allegrini inci:*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

oportere t. Ovid. Faſtor. 2.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

H c pariter ſuſpenſus conſpicitur globus praetextae. Roſa inſuper, & geminae vittae, quarum uſus maximus fuit in ſacris arboribus, quae vittatae fere ſemper nuncupantur. *Symmachus*:

Et quae fumificas arbor vittata lucernas
Suſtinuit, cadit ultrici reciſa ſecuri.

Loquitur enim de Lucis ſacris, in quibus arbores univerſae religioſae erant. Alterum vero Vaſis latus myſticum aliquid ſpirat, Genio ipſo tamquam huic operi interſit palam inducto, quod ſolemne erat Etruſcis Pictoribus, qui actibus humanis divina ſaepe intermiſcebant. Stat Mater innixa crateri, quo in balneo uſa eſt ad fi-

lium

lium abluendum, cuiuſmodi plura vidimus inter Picturas haſce Lib. 1. & 2. Nec temere ſuſpicor Matrem in hac Pictura oſtentare ipſi Genio praeſenti labrum, ex quo lotus filius, veluti novus homo proſilierat. Illa etiam tamquam praeſente Numine flabellum faciei anteponit ex quodam veluti obſequio; timor enim invaluerat mortem illi imminere, qui oculos in Deos intenderet. Formam eandem ſaepe videas in noſtra Collectione. Arborem quoque ſiniſtra manu conſtringit, illam fortaſſe uſque a pueri nativitate conſitam, eidemque Genio ſacram, & annuo cultu proſequutam, quae deinde inſtaurata ſolemnitate praetermitti non poterat. Interim Genius ipſe con-

conſpicuus , & aliger peplo ſuo inſidens , & pateram ultro porrigens ſacra ſibi oblata excipere , & rata habere confirmat . Sub latere ipſius cymbalum conſpicitur laetitiae inſtrumentum , & Baccho gratiſſimum , non diſſimulans quo feſto , quove tempore ſolemnitas iſta celebretur .

Haec omnia Peruſinis Proceribus eo libentius commemoranda duxi , ut poſt tot ſaecula mores ſuos patrios recognoſcant , videantque ſimul quo ſtudio , & cura filios ſuos educarent , quos in imperium Patriae , & in exemplum clariſſimi Populi enutrirent.

Ex-

VIII.

PARERGON OPVSCVLI.

Expoſito mihi veteri Iaſpide viridi, quem ego Etruſci operis eſſe puto, a Religioſo eruditoque viro D. Franciſco Maria Galaſſio Bononienſi, celeberrimae, & antiquiſſimae Eccleſiae S. Conſtantii apud Peruſiam Priori O. S. B. Congregationis Caſſinenſis aſſervato, ob ſingularitatem argumenti ſupprimendum eſſe non cenſui. Exhibet hic lapillus Thenſam, ſive vehiculum ſacrum, quo Deorum ſimulacra in publica ſpectacula deferebantur, ut ludos, qui in illorum honorem celebrari ſolebant, praeſentes e pulvinari conſpicerent. Id ubique per ſingulas

Vr-

Vrbes moribus inductum erat, nec dubito quin etiam Perusiae id fieri consueviſſet, quae una Etruscae communionis praecipua habebatur; quamquam, ubi melior Philoſophia coleretur, ludicra haec inter popularia feſta cenſebantur in gratiam vulgi, & Sacerdotum hariolorum tolerata. Rem Etruſcam hic agi manifeſte oſtendunt ſigna duo militaria, quae primum nobis patuere ex Tab. CLXXXI. Pictur. Etruſc. Tom. II. praelonga nempe haſtilia Aquilis deſuper incumbentibus, veluti in nidulo, quas deinde Romani extollere inſtituerunt, unde colligimus apud Etruſcos obſequia militaria cum Religionis officiis coniungi conſueviſſe.

Defertur in carpento Ciſta quaedam conicae figurae, inſtar pineae. Gorius noſter in Tab. CLXX. Muſei Etruſci frontem Urnae exhibuit, in qua expiatio quaedam refertur circa ſacellum, in quo ſimilis pinea loco Numinis veneratur, orgio ſerpente circumfuſa, unde patet ad occultas Bacchi caeremonias pertinere. Nec deſunt in T. III. Pictur. Etruſc. exempla manifeſta, unde eruitur Ciſtam Bacchi cultum aliquando ipſius Numinis uſurpaſſe, in qua, ut refert D. Clemens Alexandrinus Admonitionum ad Gentes lib. I., pinea cum ſerpente cuſtodiebatur. Opinor tamen Ciſtam hanc, quae circumfertur in Thenſa, nil praeſeferre niſi cuſtodiam ſimulacrorum Deo-

rum

rum omnium, quae deferebantur in circum. Feſtus: *Thenſam, ait, vocari Siſinius capite vehiculum, quo exuviae Deorum ludicris Circenſibus in circum ad pulvinar vehuntur.* Vae tamen ſi perperam locatae fuiſſent huiuſmodi Deorum imagines, ut aliqua earum ſubverteretur, quod ominoſiſſimum reputari ſolebat, veluti ſi pompam illam Dii repudiaſſent.

At longe deterius putabatur, ſi quis ex eminenti loco, quo ordine ſimulacra diſpoſita eſſent, proſpexiſſet. Id colligimus ex Macrobio in 1. Saturnalium cap. 6. Verrius Flaccus ait: *Cum Populus Romanus peſtilentia laboraret, eſſetque reſponſum id accidere, quod Dii deſpicerentur, anxiam Vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eveniſſeque, ut Circenſium die puer de coena-*

cu-

culo pompam ſuperne diſpiceret, & patri referret quo ordine ſecreta ſacrorum in arca pilenti compoſita vidiſſet, qui cum rem geſtam Senatui nunciaſſet, placuiſſe velari loca ea, qua pompa veberetur, atque ita peſte ſedata puerum, qui ambiguitatem ſortis abſolverat, Togae, & praetextae uſum munus impetravisſe. Quia vero inſtitutum velandae viae Rempublicam nimis gravabat, uſus inolevit, ut Carpentum tegeretur velis, atque repagulis, quorum exempla aliqua in nummis conſpicimus. Nil igitur mirum Etruſcos etiam antiquitus incluſiſſe Deorum exuvias in Ciſta probe contecta, forſan etiam ex virgulis pretioſioribus texta, ne myſteria haec tunc temporis veneranda oculis vulgi obiicerentur, & aperta procederent. Ad hanc autem

tem diſciplinam referendam puto thecam hanc teretem, quam curriculo impoſitam inter ſigna militaria, circumferri in hac Quadriga conſpicio.

Quia vero in hoc ſchediaſmate ſaepe incidit ſermo de lavacris, & balneis, quae praemittebantur ante traditionem Togae, & ſolemnitatem nuptiarum, placuit in littera initiali huius opuſculi alterum parergon inſerere expreſſum ex Gemma Gamelia, apud eundem clariſſimum amicum noſtrum Galaſſium, eamque egregii operis, in qua Crater lavacri conſpicitur adſtantibus hinc inde lotricibus, ſeu ancillis balneariis, quarum una frigidam ſuffundit, altera aquam tentat, utrum impune

ne adhiberi poſſit ; de quo officio videſis quae carpſit Claudianus contra Eutropium Lib. I. verſ. 105. In meditullio fontis apparet fortaſſe vas inverſum, ex quo calida in craterem effluxit, niſi globoſa ſpongia ſit una cum ſtrigile manubriato, quibus pueri, vel ſponſae ſe ſe diſtringebant, & purgabant, quemadmodum in celebratiſſima Pictura antiqua, quam ab Hortis, in quibus ſervatur, Aldrobandiniam appellant, perſpici poteſt.

Plura humanae vitae officia, quibus Etruſci noſtri aetatem ſuam veluti per ſectiones dividebant, contemplati ſumus adumbrata in tribus hiſce vaſculis, & veluti univerſae vitae epilogum expoſuimus,

mus , ut munus Maximo , ac Sapientiſſimo Principi reſervatum compendiariis lineamentis inſtitutionem univerſam cultiſſimae illius Nationis exhiberet . Aſt unum defuit , idque potiſſimum , Mors , quam magnificentiſſime per allegorias ſignificatam , in tertio Picturarum Etruſcarum Volumine brevi prodituro publicae luci exponemus . Praecedat nunc grande hoc argumentum Gemma elegantiſſima, quam mecum communicavit ſupra laudatus D. Franciſcus amicus noſter candidiſſimus , praeferens emblema Etruſcae originis , Genium nempe hominis comitem , quem defunctum deflet inverſa face ſuper urnulam cinerariam , veluti functus univerſo officio ſibi com-

doctiſſimus Bonada illuſtrator *Carminum ex antiquis lapidibus* Diſſertatione VI. pag. 23. *Vitam hominis denotat elata fax, inverſa mortem.* Cum vero Etruſci per ſymbolum facis vitam humanam retulerint, ſuggerit nobis Fabula Promethei, qui fictis ex luto hominibus non alio ſubſidio vitam illis inſpiravit, quam accenſa face ad flagrantem Solis flammam, eaque homines inflammaſſe. Horat. Car. 1. Od. 3.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Poſt ignem aetheria domo
Subductum....

Quam quidem Fabulam cum Etruſci imbibiſſent, ut ex illorum monumentis ſepulcralibus evincitur, hinc facem iſtam Prometheam ve-

luti ſymbolum humanae vitae uſurparunt, ut elata, & depreſſa utrumque ſtatum vitae, & mortis ſignificarent, praeſertim vero, cum non modo inclinata, ſed admota cineri extinguitur.

Altera etiam ſubeſt ratio cur cadaverum reliquiis admoveretur, ea nempe potiſſimum, qua cadavera rogo iniecta comburebantur; Putabant enim vi ignis reliquias ſcelerum, immo & humanitatem noſtram penitus repurgari, quapropter Virgilius inter purgationes animarum flammam etiam recenſuit, ut Aeneid VI. ver. 740.

aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur Manes.

Sicut

Sicut Hercules Oeteus ſe ſe in ardentem iniecit pyram, ut exuſto eo, quod matris erat, omnino Deus proſiliret. Ovid. Metam. IX. in fin.

Frequentiſſimus proinde fuit hic typus in gemmis praeſertim ſepulcralibus; cum enim Collectionem illam ingentem *Gemmarum lectiſſimarum* iam publicae luci praeparatam ordinarem, vidi ſaepius Genios adſtantes Vrnulae emortuali face admota comburere defunctorum ſpolia derelicta, & praeſertim larvas comicas ſcenicorum, in quibus ſine dubio multum quod purgaretur remanebat: quo ſuſpicio haec mea validiſſime confirmatur.

Ne quid autem deſiderandum

ſu-

ſuperſit, cum Parergon praefixum fronti huius opellae, quae iam ſub praelo erat, mihi obiectum fuerit, quod ab aliquibus Sinenſe quoddam Idolum fuit exiſtimatum, ut quod ſentio libere proferam, Aegyptium Deum in imaguncula libenter agnoſco, & fortaſſis ex eorum numero, qui Apotropei, & Averrunci, & malorum depulſores ſunt appellati. Alii genium Polymorphum vocarent bacilla manibus tenentem. Cauſaeus non abſimilem utraque manu gladio armatum deſcripſit *Muſ. Rom. ſect.* 2.; ita in malos Daemones, noxioſque Genios imperium, ac poteſtatem indigetum Deorum ſignificabant. Sunt & ignotae,

tae , aut etiam mente conceptae litterae in hoc ſigillo delineatae , ſeu excalptae , quas tamen iis , qui circa haec operam , ut arbitror , ludunt , interpretandas relinquimus . Porro quid ſibi velint tam lucerna , quam framea poſt Idolum huiuſmodi collocata , alii divinent , cum iam dicta , utcumque ſint , pro huiuſce ſigni explanatione ſatis , ſuperque ſufficiant .

Caeterum tam in explicatione Picturarum Etruſcorum Vaſorum , quam in illuſtratione parergorum ſententiam meam protuli , dubia nonniſi per coniecturas explicando , obſcuriora felicioribus ingeniis reſervans , meliora in omnibus , quum

quum producantur, libentiſſime ſuſcepturus.

F I N I S.

G. Mariotti Perus. del: *P. Allegrini inci:*

VA1
1515254